

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

EVANGELIUM. JOANN. X.

IN illo tempore, dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus : bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit : et lupus rapit, et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt oves me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili. Et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.

CONCIONES.

- | | |
|--|---|
| I. De officio magistratus et subditorum erga se mutuo. | VIII. Documenta evangelica. |
| II. Damnatur inobedientia, et rebellio contra superiores. | IX. Mystera. |
| III. Principum et magistratum præcipuæ virtutes. | CONCIONES AUCTARIUM. |
| IV. De observantia, qua colendi sunt sacerdotes, magistratus, senes. | I. Quanta providentia nutriat Deus genus humanum. |
| V. Pastor sui ipsius quomodo quisque esse debeat. | II. Quam bonus pastor Christus sit. |
| VI. Signa ovium Christi, seu prædestinatorum. | III. Christiani sint oves. |
| VII. Signa reprobationis. | IV. Oves Christi quomodo cognoscant pastorem suum. |
| | V. Quas ob causas Christus dare pro suis ovibus animam suam voluerit. |

CONCIO I.

DE OFFICIO SUBDITORUM, ET MAGISTRATUS ERGA SE MUTUO.

- I. Subditi honorent, et ament magistratum; magistratus non contemnat subditos. — II. Subditi magistratum timeant; magistratus gerat se, ut timeatur. — III. Subditi obediant suis superioribus; magistratus ita præsit, ut audiatur. — IV. Subditi sint grati superioribus; magistratus vigilet pro subditis. — V. Subditi sublevent magistratum; magistratus moderetur exactiones.

THEMA.

Cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. Joan. X.

Varie fuerunt opiniones septem Græcorum sapientum, quænam esset optima respublica, apud Stobæum, serm. XLI. de rep. et Plut. in convivio septem sapientum. Bias dicebat eam esse optimam, in qua legem omnes perinde ac ipsum regem metuunt; Chilon eam, quæ maxime

leges, minime autem rhetores audit; Cleobulus eam, in qua cives magis infamiam quam legem metuunt; Periander eam, in qua cum reliqua equalia existimentur, virtute quod melius, vitio autem quod deterius est designatur; Pittacus eam, in qua malis non daretur imperandi facultas; Thales eam, quæ cives neque prædites, nec admodum pauperes contineret; Solon eam prætulit, in qua injuriarum auctores accusantur non minus ab iis, qui injuriam passi non sunt, quam ab iis qui sunt passi. Item, ubi boni honoribus afficiuntur, mali pœnis coercentur. Item ubi cives magistratui obediunt, magistratus autem legibus. Omnia quidem ista sapienter dicta sunt. Sed juxta evangelicam doctrinam, ego illam approbavero rempublicam, in qua magistratus est velut pastor, cives velut oves. Hoc est, quod insinuat Dominus in hodierno evangelio cum ait : Cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ, q. d. ego talem me exhi-

deo erga oves meas, ut aperte videant, me pastorem earum esse verum et bonum. Et ipsæ vicissim ita se gerunt erga me, ut manifeste cernam, ipsas esse oves veras et bonas. Quod si nos hoc ipsum dicere possemus, nihil dubitarem, quin optimam haberemus rempublicam. Videamus ergo quid ab ovibus, quid a pastore requiratur.

I. Oves venienti pastori de via cedunt : sic subditi debent honorare et amare magistratum suum. Primo, scriptum enim est, Exod. XX. *Honora patrem tuum.* Sunt autem non solum natura patres, sed et politia ac regimine. Hinc olim omnes reges Palæstinæ vocabantur, *Abimelech*, id est, *pater meus rex*, ut notat Hier. I. IX. in Ezech. et imperatores Romanorum, *patres patriæ* : et senatores a Romulo creati pro gubernatione reipublicæ honoris causa dicti sunt *patres conscripti*, eorumque filii *patricii*. Sic compellabant milites illi principem suum Naaman, IV. Reg. V. *Pater, et si rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras, etc.*

Secundo, quia personam Dei representant, utpote eo constituti velut ejus vicarii, a quo omnis est potestas : (*Non est enim potestas nisi a Deo*, inquit apostolus ad Rom. XIII.) In Angliæ aula, sedes regia etiam absente rege honorantur non aliter ac rex ; in China similiter per omnes ejus civitates asservatur et proponitur certo loco regis effigies, quæ a proregibus et omnibus officialibus quotidie ita honoratur ac si non effigies regis, sed rex ipse foret. Hinc magistratus vocantur a Deo dii, Exod. XXII. *Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices.* Sed nonne S. Paulus Ananiam principem sacerdotum vocavit parietem dealbatum ? Act. XXIII. Ita est, sed quam primum intellexit esse summum sacerdotem id retractavit dicens : *Nesciebam, fratres, qui princeps est sacerdotum ; scriptum est enim : Principem populi tui non maledices.* Quod si judicem saltem esse sciebat, præsumebat tamen esse sæcularem, qui potestate abutebatur.

Vicissim pastor ovem perditam non contemnit, sed quærit et ponit super humeros suos ac reportat ad caulam : sic magistratus memores esse humilitatis debent, nec contemnere subditos suos aut quasi canes habere. Nam primo, scire debent se subditorum non tam dominos quam patres esse, adeoque ejusdem cum ipsis nature. Licet aureum habeant caput quemadmodum statua illa Nabuchodonosoris, dignitatis scilicet et gloriæ, argenteum pectus scientiæ, æreum ventrem potestatis et jurisdictionis, habent tamen fictiles pedes, similes aliis hominibus, hoc est, eandem et nascendi et moriendi conditionem. Sic dicebat S. Antonius ad fratres suos, cum legeret iis litteras Constantini impera-

toris ad se missas : « Reges sæculi, inquit, ad nos miserunt epistolas. Quæ hic Christianis adhibenda admiratio est ? Licet enim diversa sit dignitas, attamen eadem nascendi et moriendi conditio est, » Athanas. in ejus vita. Unde bene monuit Ecclesiasticus, c. XXXII. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto quasi unus ex illis.* Quod intelligendum non de externa conversatione, in qua oportet eum moderatam servare gravitatem, ne sit contemptui ; sed de interna, juxta quam cogitare debes, te imperare multis, qui te meliores sunt, et in aliquibus saltem te excedunt ; item habere te etiam dominum in cælo, prout monet apostolus ad Col. IV. Secundo, habere se quam habent potestatem, non a se, sed a Deo, cui aliquando strictam reddent rationem de subditis. Sic enim apostolus ad Hebr. XIII. ait : *Odedite præpositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi.* Quo loco S. Chrys. hom. XXXIV. dixit : *Miror si potes aliquis rectorum salvari.* Videant ergo, ne qui hic audierunt : *Ascende superius, audiant ibi : Da huic locum, et tu descende in infernum profundius.* Maximopere vero caveant, ne ab assentatoribus patiantur sibi deferri honores non debitos, præsertim divinos. Hanc enim ob causam cum Herodes pro tribunali concionaretur et populus ei applaudens acclamaret : *Dei voces et non hominis*, confestim percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, et consumptus a vermibus expiravit, Act. XII.

II. Oves unicum pastoris sui sibilum aut baculum timeant : sic subditi magistratum timeant ; scriptum enim est ad Rom. XIII. *Si malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat (magistratus), Dei enim minister est, vindex iram ei, qui male agit, concluditque : Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem : cui honorem, honorem.* Quod si judicis gladium non times, quia gladius ipsius est, time saltem, quia gladius Dei est, a Deo ipsi traditus. Unde paulo ante dicit apostolus, ib. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Gladius Gedeonis, gladius Dei, clamabant bellatores illi, Jud. VII. quia gladius magistratus, gladius Dei est, qui minatur damnationem iis, qui magistratui resistunt. S. Augustinus in illum versum Psa' CX. *A verbis tuis formidavit cor meum*, ait : « Habuerunt quidem et illi (principes) verba minantia : Expello, occido, unguis torqueo, ignibus torreo, bestiis subigo, membra dilanio ; sed tua me potius verba terruerunt. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed eum timeate qui potest corpus et animam perdere. » Sic ille.

Vicissim pastor baculum in manu gerit coercendas oves, et quandoque in ipsum gregem jactat. Sic magistratus gerat se ut timeatur: non servili timore et coacto, quo modo is dicebat: *Oderint dum metuant*, sed potius filiali. Quod fiet, si cum rex exigit, severus legum vindex sit, et gladium contra nocentes exerat. Alioquin enim sine causa gladium portat, et similis est stramineo militi qui forte gladio armatus inter segetes statuitur ad terrorem avium, quæ quidem primo eum metuunt, sed postquam advertunt nunquam evaginare gladium, aut movere brachium, tandem ipsi insident, et nasum ejus conspurcant. De quibus dicitur, Zach. XI. *Opastor, et idolum!* Pro talibus habentur multi rectores a subditis, sed fere ipsorum culpa, quia nullum vindictæ actum in noxios exercent. Sic olim Themistocles dicebat Theutidem Atheniensium ducem nequitiam timeundum, quia nimirum gladium quidem haberet ad jugulandum, non tamen cor ad educendum.

Debet tamen magis inclinatus esse ad clementiam, quam ad severitatem, ideoque gladio uti sicut eques virgula, magis ad terrendum, quam ad feriendum. Livia Augusti conjux hoc ipsum e persuasura, ait inter alia: *Videtisne ut medici rarissime sectiones et ignes adhibeant, ne ipsa videlicet vitia corporis exasperent?* « Pleraque etiam lenibus corporis exercitiis et mitibus medicamentis molliunt ac sanant. » Et infra: « Neque ego omnibus ex æquo noxiis parcendum esse dico, sed audaces, inquietos, malignos, ac sinistri consilii homines, immedicabiles et continuæ malitiæ assuetos excindere te jubeo, exemplo earum corporis partium, quæ medicinam non patiuntur. Aliquos, qui propter ætatem, imperitiam, imprudentiam aut alio casu quodam vel volentes, vel inviti peccant, verbis castigare, minis corrigere, aliave tolerabili ratione tractare, etc. » Qua oratione commovit imperatorem, ut reos insidiarum, verbis castigatos, indemnes dimiserit, apud Dion. I. LV.

III. Oves pastoris vocem audiunt, et sequuntur eum. Ita subditi obediant suis superioribus. Sic enim scribit apostolus ad Rom. XIII. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quod ibidem probat multis rationibus, nimirum quia sic a Deo ordinatum est; quia Dei ministri sunt; quia gladium portant; quia conscientia hoc dicat; quia Deus vindex est; quia lex christiana id jubet. Et ad Hebr. XIII. *Obedite præpositis vestris*, inquit, *et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes; hoc enim non expedit vobis.* Ubi vides alias rationes hanc obedientiam suadentes. Prima, quia debent subditos custodire tamquam rationem

pro iis reddituri. Quod si aliquis constituitur dux cæco, debet eum sequi cæcus, alioqui dux indemnis erit, si forte corruat cæcus. Secunda, quia alioquin subditi aggravabunt oneribus superioribus. Gemunt enim præpositi sub onere regiminis, cum vident omnes suos labores et consilia irrita et spreta. Quemadmodum equi permolestus est equus, qui nisi coactus et calcibus fatigatus non progreditur, et aurigæ currus stridentibus semper rotis obstrepens; ita magistratui cives, qui semper quiritantur et obstrepunt, nec nisi minis et penis adacti parent. Tertia, quia hoc cedit in damnum subditorum, siquidem talis prælatorum genitus clamat ad Deum et invocatur ejus ultionem. Quam ob causam etiam Moyses ad inobedientes sermonem facturum ait: *Invocabo contra eos cælum et terram*, Deut. XXX. Rursum per hoc constringitur præpositus, ut non audeat præcipere, quod subdito est utilius, et sæpe dimittat eum in desideriiis suis. Denique, peribunt hoc modo subditi: « Sicut, (inquit S. Chrysostomus eo loco, hom. XXXIV.) si ex choro ipsum choryptæum auferes, nequaquam modulatus chorus vel ordinatus existit; et phalanx militum, si ducem non habeat, nullo modo numero acies illa vel ordine procedit; et navis si gubernatore privetur, pessum eat necesse est; et gregi si pastorem abstuleris, cunctus dispergetur, et peribit. » Sic ille. Similiter fere Julius Cæsar sic alloquens milites quosdam tumultuantes, dixit: « Ego sane neque rectum esse arbitror, ut qui principatum gerit, subditis sit inferior; neque salutare quidquam agi posse censeo, ubi hi quibus injunctum est ut dicto sint audientes, imperare ipsi velint. Intelligitis enim, quam probe sit futura ornata domus, in qua natu minoribus ætate grandiores despectui sunt: aut ludus litterarius, ubi discipuli magistros contemnunt. Quæ spes sanitatis ægrotis, si non per omnia medicis obtemperent? Quam tuta navigatio si nautæ gubernatoris jussui non pareant? Ita natura duas necessarias res easque salutes comparavit in humano genere, ut alii cum imperio essent, alii subjicerentur, nihilque est quod absque his sit, quod vel minimo spatio perdurare possit. » Sic ille, apud Dion. I. XIV. Parum prodest bonus et sedulus agricola, nisi terram habeat, quæ subigi se patiatur et in omnem versari partem. Ita non florebit resp. si cives habeat immorigeros, tametsi bonus sit magistratus.

Vicissim etiam pastor ante oves vadit. Sic magistratus ita præsit, ut populo incitetur ad prompte obediendum: quod fiet si primo justa præcipiat, et quæ divinæ legi rationique non repugnant, alioquin enim transiliet fines imperii sui et facile confundetur a dicturis, Deo potius quam

hominibus obtemperandum esse. Ægre etiam paret qui suspicatur se non duci ex ratione; nec facile est cuivis abnegare proprium judicium. Quare Trajanus imperator magistratum et judicem constituens, illique de more gladium porrigens: *Illo*, inquit, *pro me, quamdiu æqua mandavero: sin iniqua, contra me utere*, Nic. Cal. I. III. hist. eccl. c. XXIII. Secundo, si paulatim subditos assuefaciat per imperia primo faciliora, deinde difficiliora, quomodo equos frænâ, et pueros præceptis facilioribus ad asperiora assuefacimus. Tertio, si exemplo præeat. Ut enim pictor exemplar præ se videns, facile imitatur suo pennis, ita subditi magistratum, in quem potissimum oculos suos conjiciunt. Hinc Christus et apostoli tam potenter converterunt mundum, quia id agebant, quod docebant. Contra deviantem magistratum facile deviant subditi; ut enim chori actor, quando in mensura errat, omnes cantores errare facit; ita magistratus. Longe efficacius movent exempla quam verba.

IV. Oves præbent pastori suo lac. Pari modo subditi debent esse grati erga superiores suos: *Ipsi enim pervigilant pro eis, quasi rationem pro eis reddaturi*, teste apostolo ubi sup. ideoque *subjacete eis* inquit, q. d. quantumvis in eorum gratiam et pro eis faciatis, nihil æquale rependetis, quia ipsi solliciti sunt de salute vestra, dum vos utramque aurem dormitis, et nihil minus quam de salute cogitatis. Neque dicat aliquis, minus se obligatum superioribus, propterea quod non pro ipso tantum, sed et pro aliis invigilant; siquidem ob hoc non extenuatur beneficium, quod pluribus conferatur, sicut nec ideo minus obligamur Christo, quod non pro me et te solummodo, sed pro omnibus sit passus, aut medico, quod non tantum nos, sed et alios curarit ab infirmitate, aut Deo, quod non nostræ tantum civitati, sed toti orbi faciat oriri solem. Neque objiciendum est magistratibus otium; quia etiam navarchi quieti in puppi sedent, aliis remigantibus: plus tamen interim faciunt, quam remiges.

Imprimis vero pro iis orare debent, tum ob causam dictam, tum quia plurimum in rectoribus positum est, cum Constantino imperatore conversus est orbis: cum uno principe perverso pervertuntur omnes ejus subditi. Numantini hostes Romanorum, rogati cur jam Romanos fugerent, quos antea fugarant, responderunt: *Oves quidem eadem sunt, sed alium jam habent pastorem*, Plut. in apophth. Rom.

Vicissim vero pastor pro ovibus vigilat, earum curam agit, etc. Similiter præpositi vigilare pro gregibus debent eosque defendere, quo modo David dum pascibat oves, apprehendebat mentum leonis et ursi, et eruebat oves ex ore ipsorum.

rum, I. Reg. XVII. Magis etiam timeant gregibus suis quam sibi quemadmodum et canes ovium custodes; cum enim lupum vident, non sibi sed gregi timeant et pro illo pugnant. Adsunt præterea fideliter gregibus suis, plurimum enim nocet eorum absentia, ut patet in populo Hebræo, qui absente Moysese pastore suo, cœpit insolescere, et idolum colere, Exod. XXXII. Nec vinci impatientia debent, si non statim accipiunt, assequuntur finem et fructum speratum. Non est unius diei opus, feram cicurare, multo minus homines multos, feris sæpe efferatioribus perdomare. Quid quod non ipsos sæpe non possumus frænare et efficere tales, quales volumus: et mirabimur, si alios non possimus? Sufficit rectoribus strenue laborasse pro salute subditorum, non tenentur eos Deo representare bonos. *Curam illius habe*, ait Samaritanus stabulario, *et quodcumque erogaveris, reddam tibi*. Cura, inquit, non sana.

V. Oves præbent lanam pastori, in anno semel aut bis. Sic debent etiam subditi suis facultatibus juvare magistratum, onerum gestatione, tributi pensione, etc. juxta præceptum apostoli ad Rom. XIII. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*. Ratio, quia nisi caput adjuvetur a membris, non poterit officium suum præstare et servire membris. Unde qui ad conservationem boni publici non juvant magistratum, seipsos pessumdant. Pedes gestant caput, brachia suffulciunt: sic faciant subditi magistratui. Deseruit aliquando plebs senatum Romanum, quod diceret eum otio deditum, subditorum vesci laboribus, ideo causam senatus apud plebem, quæ in sacrum montem ex urbe secesserat, egit et peregit Menenius Agrippa, teste Livio, I. II. dec. 1. « Tempore, inquit, illo quo in homine non ut nunc, omnia in unum consentirent, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat, ferunt indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia queri, ventrem in medio quietum nihil aliud quam datis voluptatibus frui; conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, ne os acciperet datum, nec dentes conficerent, hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra totumque corpus ad extremam tabem venisse: inde apparuisse ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali, quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc, quam intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in patres, flexit Menenius mentes hominum. »

Vicissim pastor, etsi tondet oves, non excoriat

tamen aut deglutit. Hujus igitur exemplo meminere magistratus moderari exactiones: ne alioquin deteriores sint herio Cæsare, qui publicanis et præsidibus provinciarum suadentibus augmenta vectigalium e tributorum rescripsit: *Boni pastoris est, non oves excoriare, sed lanam dumtaxat sibi retinere, tondere pecus, non deglutire*, Sueton. cap. XIII. Similiter Alexander Magnus cum quidam admoneret longe plus vectigalium a civitatibus auferri posse, respondit: *Et olivam odi, qui radicitus olera excindit*, Maxim. serm. XIII. Plotina maritum suum Trajanum imperatorem monuit, fiscum esse velut lienem, quo turgescere reliqua corporis membra decrescunt, Coelius Rhodiginus, l. IV. c. XVIII. Quare merito Constans imp. teste Eutropio dicebat, opes publicas melius a privatis pluribus haberi, quam intra unum principis claustrum reservari. In confesso est expedire ut provincia abundans sit et dives, quia si inops fuerit, et velut abstracta pelle nuda, quomodo lanam dabit, qua se vestiat magistratus? His certe irascitur Deus, Mich. III. dicens: *Violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem desuper ossibus eorum!* Cum S. Odoardus Angliæ rex ingentem pecuniam a quæstoribus suis collectam admiraretur, vidit simul diabolum illi insidentem, et gaudio subsilentem; quo objecto perterritus, omnem confestim populo jussit restitui, ut scripit Polydorus Virgilius. S. Ludovicus Galliæ rex Phillippum filium regni hæredem in testamento suo sic inter alia alloquitur: « Ne subditis tuis tributum imperes, aut imponas onera, nisi necessitas urgeat, teque manifesta regni utilitas compellat, idque non ultro, sed gravi de causa facias. Si secus faxis, non rex, sed tyrannus habebis. » Quare, auditores, vultis vestram remp. optime dispositam, faciat magistratus, quod pastoris est: faciant subditi, quod ovium est. Ita beatam et quietam sortiemini remp. quam donet nobis Deus.

CONCIO II.

DAMNATUR INOBEDIENTIA, ET REBELLIO CONTRA SUPERIORES ET MAGISTRATUS.

I. Per eam offenditur Deus. — II. Offenditur magistratus. — III. Offenditur proximus. — IV. Offenditur ipse rebellis.

THEMA.

Vocem meam audient. Joan. X.

Præcipua causa, ob quam Christus suos fideles ovium nomine appellat, videtur esse obedientia, quæ in ista pecude eximia est, et potissimum commendatur a Christo Domino, Joan. c. X. Unde evangelium hoc desumptum est.

Primo enim, oves vocem pastoris audiunt, et ad eam reducuntur. Deinde, præeuntem sequuntur pastorem, quod non faciunt alia pecora, quæ potius agi debent ab insequentibus pastoribus. Neque pastorem tantum, sed et canem ejus et capras præeuntes sequuntur. Denique, nesciunt rebellare aut resistere pastori, quod tamen solent alia pecora, boves cornibus, suæ dentibus, equi calcibus. Jure igitur merito proponitur nobis ovis in exemplum obedientiæ superioribus exhibendæ, iis præsertim qui nesciunt obedire. Si enim homini, et quidem ad nutum, parent bruta, cur non pareat homo, qui novit superiorem suum Dei vices agere, et personam repræsentare? Novit rationes alias, quæ invitant hominum ad præstandam obedientiam fugiendamque rebellionem? Ergo quia non tantum salus animæ, sed et reipublicæ in hoc est sita, videamus quantum malum sit non obedire superioribus.

I. Quatuor potissimum rationes, quamobrem inobedientiam et rebellionem contra superiores cavere debeamus, adducit apostolus ad Rom. XIII. Prima, quia redundat in ipsum Deum; de quo ait: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Quia videlicet superiores Dei quasi vicarii constituti sunt. Similiter et Dominus, Luc. X. *Qui vos spernit, me spernit*, inquit. Ita olim Deus ad Samuelem dixit de Hebræorum populo, qui repudiato Samuele æquissimo iudice, postularat sibi regem juxta morem gentium. *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*, 1. Reg. VIII. Sed quomodo abjiciunt Deum immorigeri? Id optime explicat ipse Samuel, 1. Reg. XV. dicens: *Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Qua ratione, inquires? Quia sicut ariolus neglecto vero Deo, consulit falsos deos, adeoque diabolum ipsum; ita refractarii neglecto superiorum (qui Deum verum repræsentant) mandato et consilio, proprium sensum vel ipsius etiam diaboli aut perversorum hominum sequuntur suasiones: « Quasi ergo peccatum ariolandi est, repugnare, ait S. Gregor. eo loco; quia velut contempto divino altari, ad aras demonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis ac superbis adinventionibus credunt, et salubribus prælatorum consiliis contraria sentiendo refragantur. » Sed quomodo scelus idololatriæ nolle acquiescere? Quia ut idololatra idolum suum colit et adorat; ita suo modo inobediens proprium judicium omnibus aliis præfert. « Nolle acquiescere, ait ibid. Greg. idololatriæ sceleri simile dicitur, quia niuirum in inobedientiæ suæ obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde, quasi idolum, non gestaret. Et tum conceptum men-

tis propositum se acturum deliberat, quasi ad adorandum simulacrum se inclinat. » Subdit deinde Samuel statim ad Saulem loquens: *Pro eo ergo, quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex.* Sermo ille Domini, non immediate a Deo, sed a Samuele intimatus fuerat Sauli, et tamen abjicitur Saul; quia videlicet abjiciendo sermonem Samuelis, abjecit sermonem Dei. Propterea etiam Dominus vocans Samuelem puerum tertio, assumpsit vocem Heli domini ejus senilem, it ut Samuel crederet vocari se ab Heli, 1. Reg. III. quia voluit nos docere ipsum loqui nobis in superioribus, horumque vocem esse ipsius vocem.

II. Offenditur superior seu magistratus, quod indicat citate loco apostolus, cum ait: *Time; (scilicet potestatem judicis) non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, q. d. Deus accinxit illum gladio, dando ei potestatem vindicandi scelera; ergo illi timorem pariter et honorem ac obedientiam exhibe; alioquin tentas tu quodammodo discingere, quem accinxit gladio Deus.* Nactus aliquando erat David occasionem occidendi in spelunca Saulem, dominum suum regem, sed hostem infensissimum, et tamen non aliter ei nocuit, quam ut clam accederet, et præscinderet oram chlamydis ejus. Nihilominus facti mox pœnituit, et percussit eum cor suum eo quod abscessisset oram chlamydis Saul, quia videlicet, ut mox dicebat, dominus ipsius et *Christus Domini*, id est, unctus erat, 1. Reg. XXIV. Quanto potius timeant subditi insurgere in magistratus et superiores suos, chlamydemque honoris ac potestatis, quam contulit eis Deus, detrahere aut præscindere per rebellionem, detractionem, murmurationem, aut quovis alio modo? Sunt enim et ipsi domini eorum, ac suo modo uncti ut regant subditos. Unde vulgo cives vocant magistratum suum dominos suos. Quod si eorum domini sunt, quomodo eis repugnant? *Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* ait Dominus, Luc. VI. Idem dicere subditis possent magistratus. Refert P. Georgius Schererius, dom. III. post. epiph. Mahometem II. Turcarum imp. cum anno 1596. ascenderet eum exercitu in Hungariam, ab incolis oppidi Ketschemit, rogantibus sibi parci ab equitibus Turcicis subinde catervatim transeuntibus, donatum 500. ovibus, 100. bobus, 11. curribus similia referentis, remuneratum esse eosdem 300. ducatis et una veste aurea, jussisseque hanc vestem advenientibus monstrarent; tunc fore se securos. Factum ut imperatum. Quoties advenere equites, judex loci veste illa conspicuus sese contuendum Turcis obtulit. Et continuo Turcæ illi ab equis delapsi, vestem deoseculabantur maxima cum venera-

tionem, et recedebant ab illo loco, nec quidquam molestiæ ei inferebant. Quid aliud facit Deus, cum rectorem quem constituit, nisi quod ei similem togam, eminentis potestatis induat et donet? Et quis audebit talem violare togam? Quis contumellis insectari? Quis detractionibus præscindere? Quis eam oppugnare? Ut enim chlamys illa Turcicum imperatorem repræsentabat: ita magistratus et superior repræsentat Deum. *Quis extendet manum suam in Christum Domini, et innocens erit?* ait David servo suo Abisai, cupienti interficere Saulem dormientem, 1. Reg. XXVI.

III. Offenditur etiam proximus, qui malo unius rebellantis exemplo abalienatur a suo magistratu vel rectore, ut parvi aut nihili ducat omnia ipsius monita ac præcepta. Huc pertinet illud apostoli loco suprad. *Subditi estote, non solum propter iram (id est, metum supplicii ab iis inferendi) sed etiam propter conscientiam (partim vestram scilicet, partim aliorum, quos exemplo vestro scandalizatis).* Sic enim rebellis ille draco, Lucifer, traxit cauda sua, id est, hortatu et exemplo tertiam partem stellarum in terram, maximam inquam partem angelorum in infernum, ut dicitur Apoc. XII. et exponit D. Thom. 1. p. q. LXIII. art. et alii VII. Sic Core, Dathan, Abiron et Hon; rebellionis contra Moysen auctores traxerunt secum in eandem rebellionem alios 250. viros, quos absumpsit ignis. Cum quatuor vero illis ducibus una etiam uxores, liberi, famuli et ancillæ, omnesque domestici absorpti sunt a terra, quia vel consenserunt eorum rebellionem, vel saltem ab eis recedere noluerunt, prout facere moniti erant, Num XVI. Clamabat enim Moyses ad turbam: *Recedite a tabernaculis hominum impii, et nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involamini in peccatis eorum.* Pestiferum igitur malum est inobedientia et rebellio, quia cum unus non sufficiat resistere potestati superiori, socios sibi adseiscit, et facile acquirit, quia jugi excusationem et libertatem suadet. Hinc etiam monuit apostolus, II. Thes. III. *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Ergo ut infectus peste vitatur, nec solum ipse, sed et vestes ejus et quidquid habuit ac tetigit; et ut ovis morbida ejicitur e caula, ita vitandus etiam rebellis et qui antistiti suo detrahit, ne aliis malum suum afflet; ut monet etiam S. Basilius, in qq. brev. q. XXVI. XXVII. XXXIX. Quam ob causam rebelles illi una cum tabernaculis etiam omnique substantia sua absorpti sunt a terra; ne contagies rebellionis vel peccatorum supellectilem in alios derivaretur.

IV. Offenditur ipsemet rebellis, et quidem